



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Donationibus. Consilium CCCXVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

an à donatario legari vel fideicomitti possit; quod nullam (ut inquit Glossa in d. V. donavit, habet quaestionem seu dubitationem quoad donatarium mortis causa; is enim cum legatario comparetur, & non tam ex contractu, quam ex ultima voluntate capiat, d. l. ult. C. de mort. caus. donationib. sine ulla dubitatione legato & fideicomisso gravari potest, l. 1. §. sciendum, l. si mulier De legat. 3. l. Ab eo C. de fideicommissis. Sed iusta est dubitatio & dubitandi ratio, an idem quoque constituendum sit in donatione, quae non mortis causa, sed inter vivos facta est; hic enim cum donatarius ex morte vel propter mortem donatoris nihil capiat, cum sine villo adiecto, pacto vel modo facta est donato, legato gravari non potest, d. §. sciendum, Cuiusius consil. 20. pater & mater. At si huic donationi adiectum sit pactum, quod testator de bonis donatis disponere possit; gravari utique potest donatarius legato vel fideicomisso: non ex eo, quod testamento honoratus sit, vel propter mortem seu ex morte testatoris aliquid capiat; sed quia ea in parte debitor sit donatoris; hoc est, quia in effectu promiserit praestare ea, quae testator de his bonis disponet. * Iam verò ex constitutione D. Pij receptum est, à debitore legari & fideicomitti posse, etiam si is nihil à testatore, vel ex eius morte capiat, d. §. pater in fine. Si pecunia de legat. 1. l. Si debitor de liberat. leg. Ita ut in specie à Scauola proposita non possit contra expressa verba textus constitui species donationis mortis causa; ex eo, quod donatarius gravari possit onere legati vel fideicommissi.

Nec ad rem facit, quod Castrensis, in d. l. si mulier, scribit, videri velut ex ultima voluntate capi, quod donatarius accipit ex donatione inter vivos facta, si illa revocari potest; inspecto magis fine, quam formà contractus: nam loquitur de ea donatione inter vivos, quae ab initio instabilis & invalida est, & ad sui validitatem requirit mortem donatoris, & confirmationem ex illa; ut est donatio inter coniuges; inter patrem & filium in potestate constitutum, l. Sequens questio de legat. 1. l. Cum hic status §. 1. De donationibus inter vir. & uxorem. (quae in hoc articulo similis est donationi mortis causa, Doct. in l. Ab eo C. de fideicommissis.) non etiam de illa, quae ab initio valet; etiam si ex aliqua causâ vel auctoritate legis, vel ex lege donationi per donatorem dicta, revocari possit; qualis est haec, de qua hic agitur, quae facta est ab eo, qui sic donare potuit; & ei quidem, qui sic donatum accipere potuit. Deinde non proprie hic est pactum, quod revocari possit donatio; sed quod donator de rebus donatis disponere possit; quod etiam si fieri non possit, nisi cum effectu aliquo revocationis donatorum pro toto vel parte, id tamen non fit ex naturâ ipsius donationis, sed ex vi adiecti pacti, quod informat, non transformat hunc contractum.

Cum ergo revocabilitas donationis, item modus vel lex seu pactum donationi adiectum, quo donatio ad revocationem perducitur potest, non sit contra substantiam, nec contra naturam ipsius donationis, huc accommodari non possunt, quae alibi, in l. Pacta conventa De contrah. empr. traduntur de pactis transformantibus; cum hoc pactum re-

tentâ liberæ dispositionis non transformet, sed informet, hoc est dilaret & ampliet ipsum contractum ad ea, quae in communi natura donationis inter vivos non continentur, nisi pacto expresse in ipsa donatione, tunc cum perficitur, non cum perfecta est, l. versella C. de donat. quae sub modo, adijciuntur, & in contractu insunt, l. Iurisperitum §. quoniam De pactis, d. l. Pacta conventa. Aliiter quam cum donationi mortis causa adijciatur pactum, ut nullo casu revocetur; quia huiusmodi pactum subvertit substantiam huius donationis, quae non nisi revocabilis esse potest, d. l. Si quis in princ. l. 4. De adimen. legat. 1. quod & in alijs contractibus seu negotijs, quae à nudâ voluntate contrahentis seu concedentis pendet, ulavenit: ut sunt precarii rogatio, l. Cum precario De precario, societas, l. Nulla D. pro socio, mandatum, §. recte quoque Iustus De mandato, depositum, l. 1. §. si sit depositum, commodatum; in quibus adiectum pactum de non revocando, vel corruptum contractum, vel pro non adiecto habetur, vel defleat illud in aliam speciem: quod in donatione inter vivos perinde dici non potest, * Et si enim sic plerumque donetur inter vivos, ut res perpetuo irrevocabiter maneat apud donatarium, non cogitatione illam ex mutata voluntate recipiendi seu repetendi, l. 1. De precario; nihil tamen vetat, quin ita donari possit, ut recipere seu repetere liceat, vel ex voluntate donantis, vel ex casu, vel ex die, * Idemque evenit in alijs contractibus ad dominij translationem idoneis; nam & ex emptionis causâ, quod transfertur revocare aut repetere non licet, l. Non est l. Ratius C. de resund. empr. & tamen utiliter venditioni adijci potest pactum, ut quodcumque volente venditore restituito pretio res ei restitatur, l. 2. C. De pact. inter empr. & venditor, idque manente venditione, non transformata in aliquam aliam speciem contractus. Atque ita manifestum est, hanc donationem talem esse, qualem donator illam nuncupatis verbis esse voluit; hoc est, inter vivos: quae cum ita sub hoc pacto retentâ seu reservatâ liberæ dispositionis valere possit, non potest ullâ ratione trahi aut defleat ad donationem mortis causâ contra verba & mentem donatoris.

De Donationibus.

S V M M A R I U M.

Donatio Praelati per modum liberationis.

1. Monachus factus Episcopus ius restandi habet.
2. Donatio quae à mortuente fit, non semper est donatio mortis causa.
3. Donationis species an sit liberatio Praelati.
4. Praelatus an debitorem suum liberare possit.
5. Monachus Episcopus potest administrare.
6. Monachus Episcopus quomodo obstringatur suo ordini.
7. Clerici beneficiati quomodo sint bonorum Ecclesiae usufruarii vel usufructuarii.
8. Episcopus etiam religiosus de quibus rebus & quomodo possit ius disponere.
9. Donatio absentis in piam causam facta valet.

CONSILIVM CCCLXVII.

REVERENDISSIMVS Dominus Gerardus Hamericourt, pius Abbas Monasterij S. Audomari, Religiosus professus Ordinis S. Benedicti, promotus est ad Episcopalem dignitatem Ecclesiae Audomariensis.

Audomarenſis; quam annis circiter quatuordecim adminiſtravit. Is diebus ſeptemdecim ante obitum, ſex autem ante ſuſceptum ſacramentum extremæ unctionis, videlicet prima menſis Martij anni 1577. gravi affectus infirmitate, (ex qua certum eſt ipſum deceſſiſſe) nondum tamen continuò decumbere coactus, mente etiam adhuc ſanà & integrâ, ſub manus propriæ ſubſcriptione, & ſigilli ſui appenſione liberavit Ioannem Bonuoli ſuum Receptorem generaliter, & particulariter de ſua adminiſtratione, ſeu receptione; & quod non teneretur alias rationes reddere, nec per ſucceſſorem ſuum aut quemcumque alium ulterius gravari poſſet; additâ cauſâ, quod ipſi ab eo plenè & integrè ſatiſfactum eſſet; declarando ſe bene informatum, & certum eſſe de receptis & relictis, quæ ipſi deductis omnibus, quæ deducenda erant, citra annum ſexageſimum tertium, comprehenſo etiam anno ſexageſimo ſexto; & terminis in feſto Paſchæ & Sancti Ioannis ratione dicti anni ſexageſimi ſexti, quovis modo competere poſſent; onerando nihilominus ipſius conſcientiam, ut ſi quid ipſi deberi idem Ioannes comperiret, id deductis deducendis pauperibus diſtribueret; nolens per quemquam ea in parte eum inquietari, donando huiusmodi reſtantia debita, ſi quæ eſſent, dictis pauperibus. Idem Reverendiſſimus Dominus ſeptima dicti Martij, per ſcripturam ſua manu ſubſcriptam, donavit præſenti die fabricæ dictæ Cathedralis Eccleſiæ, omnia ſua bona mobilia in domo ſua Episcopali exiſtentia. Donavit ſimiliter futuro ſuo ſucceſſori in Episcopatu ornamenta Episcopalia, quibus in conferendis ordinibus uti ſolebat. Item quicquid ei debebatur ratione præbendæ ſuæ Episcopatui annexæ, donavit ad fundandum ſuum anniverſarium. Queritur, an huiusmodi liberatio & donatio valeat?

1. Dubitandi cauſam facit, quod uterque hic actus videatur eſſe mortis cauſa donatio; quia in adverſa valetudine, & imminente mortis periculo ſeu ſuſpicionē factus fuiſſet. Iam vero ex ſententia Specularioris, de ſtatū monach. §. viceſimo tertio queritur n. 29. (ut exiſtimat Ioannes Bertachinus in tract. de Episc. lib. 2. quaſt. 29. nu. 68, contra Martinum de Fano.) Monachus effectus Episcopuſ, ut non liberatur à monaſtica profeſſione, regula, & obedientiâ; & ne quidem à monaſtico habitu, Gloſſ. ult. in c. Clerici de ſtatū monach. & ibi Panorm. & aliq. Diſt. Covar. in c. 1. nu. 18. De reſtam. etiamſi ad maiorem dignitatem aſcenderit: ita quoque ei non relaxatur vinculum ſeu prohibitio iuris, quo ingreſſus monaſterium non habet facultatem teſtandi, Auth. Ingreſſi C. De ſacroſ. Eccleſ. & per conſequens nec codicillandi, nec mortis cauſâ donandi: quia horum poteſtatem non habet, cui ius teſtandi non eſt, l. 2. de leg. l. 1. Conſtituitur §. 1. De iure codicill. l. Nec codicillos C. De codicill. Quod idem à Baldo pluribus locis, in d. c. Clerici nu. 7. & in Auth. Licentiam nu. 3. C. de Episc. & Cleric. traditum, apertè probant, & ſequuntur Paulus Caſtrenſis, in d. Auth. Licentiam nu. 2. Iaſon in d. Auth. Ingreſſi nu. 13. Panormitanus, ac poſtremo Didacus Covarruvias, in c. 1. De reſtam.

2. Ceterum ita ſunt concepta verba utriuſque actus ſeu diſpoſitionis, ut pro nullâ ſpecie ultimæ Conf. Wameſ. Tom. II.

voluntatis, & proinde nec donationis mortis cauſa accipi poſſint. Neque enim donatio mortis cauſa ſemper eſt, quæ in ad- aletudine, aut in ſuſpicionē mortis fit, in prohibeatur quis etiam in extremo vitæ ritu ſimpliciter, & abſolute ſeu inter vivos donare. Qui enim in extremo vitæ conſtitutus abſolute donat, nullâ faciâ mentione mortis, non tam mortis cauſâ, quàm morientem eum donare reſpondit Vlpianus, l. ſcila §. ult. de don. mort. cauſ. Ideoque opinio Antonij Butrij, in c. 2. De conſuetud. nu. 7. qui exiſtimabat, actum liberalitatis in infirmitate geſtum, præſum geſtum cauſâ ultimæ voluntatis condendæ, aut donationis mortis cauſâ, vulgò ex dicti Papiniani reſponſo improbat, Guſiel. Benedict. in c. Ramnus in verb. taſtamentum n. 21. De teſtam. l. car. Franc. Ripa in tract. de peſte in privileg. contr. actum n. 175. & conſ. ſeu reſponſo 1. Peſſerato creditur n. 7. ſub tit. de donat. mort. cauſ. Soc. conſ. 130. Viſa contingenti vol. 1.

Quod nullam habet dubitationem, cum ſic verba concepta ſunt, ut inde appareat, diſponentem ſeu loquentem nullam habuiſſe cogitationem quin ipſe ſibi potiùs, quàm donatio conſulere voluerit; aut quod actum, ſeu actus executione, demùm in calum mortis ſuæ conferre voluerit. Cuius unum inter alia indubitatum argumentum eſt, ſi dicat, ſe jam in præſenti, & maxime ſi addat, ſe irrevocabiler donare, l. Vbi ita donatur, De don. mort. cauſa Lud. Rom. conſ. 513. In cauſa propoſita in fine; item ſi id faciat extra formam teſtandi vel codicillandi; & quidem in obſervationem iuris communis, adhibitis fortè duobus tantum teſtibus, qui nec in teſtamento, nec in codicillis, nec in donatione mortis cauſâ ſufficiunt, l. ult. C. De donat. mort. cauſa, Alex. in l. Licet C. De pact. & in uſu conſuetudinis nunc paſſim obtinentis, ſi fiat per ſolam epistolam, aut ſcripturam donare volentis, nullis adhibitis teſtibus, per quam nec hæreditas, nec legatum ſic dari poteſt, l. Et in epistola C. De fideicommiſſ. Anâ. Alciar. conſ. 566. Generoſi nu. 9. Quæ omnia conſpiciuntur in utroque hoc actu; cum uterque conſtet ſolâ Reverendiſſimi Domini Episcopi ſcripturâ (quæ ad donationem inter vivos ſola ſufficit, l. Si aliquid, l. Si donatio C. De donat. nec continet diſpoſitivam mortis commemorationem, nec dilationem in tempus mortis; ſed apertam expreſſionem, Reverendiſſimum Dominum eam donationem præſentè & irrevocabiler facere.

Diſpiciendum itaque eſt, an cum ex conſideratione deficientis poteſtatis in teſtando, ſeu mortis cauſa donando, hæc duæ diſpoſitiones ſeu actus ſubverti commodè non poſſint, ex alia conſideratione impugnari valeant? Sanè quod ad priorem attinet, qua ſuum Receptorem analogiſten, hoc eſt, rationibus receptionis reddendis liberum eſſe voluit, l. Quidam decedens de adminiſt. & peric. tut. nihil ſolidi nobis occurrit, ex quo huiusmodi voluntas ſeu diſpoſitio annullari poſſit. ¶ Eſt enim liberatio ſpectem donationis contineat, & liberatio perinde legari, D. De liber. leg. ut acceptatione, vel pacto dari poſſit, l. 1. in fine. Quæ in fraud. cred. ſalta ſunt: in propoſito tamen ex re ſubiecta donatio propriè dici non poteſt, ſed tantum declaratio veritatis, rei ſcilicet per Receptorem bene

benè gesta, & solutionis pro necessitate concedita administrationis benè facta; cuius scientiam & conscientiam nemo rectius, quam is, cuius administratio gerebatur, & rationes per vices redditae fuerant, & reddendae erant, habere poterat. Proinde cum Episcopo quantumvis Monacho seu Religioso rerum Ecclesiae administratio, & fructuum perceptio per se seu suos de Iure permittatur, *Salicet. in Auth. Licentiam C. De episc. & cleric. hoc utique permittendum quoque fuit, ut ei, qui ejus nomine administravit seu fructus percepit, facere possit confessionem factae solutionis rei rectè administratae, cum subjunctâ liberatione, & prohibitione exigendi ab eo rationes.*

Quod in proposito minorem habet dubitationem, ex eo, quod in hac confessione, liberatione, & prohibitione, commodum sublatae vexationis & molestiae in repetendis rationibus dumtaxat percipiat hic Receptor, non etiam pecuniarium aliquod lucrum: cum in hac dispositione aperte contineatur, ut, si quid in reliquis hujus administrationis & receptionis debitum erit, id non lucro ipsius cedat, sed per eum pauperibus magis indigentibus distribuatur. Quod praecceptum distribuendi in pauperes, an subsistat, probabilior dubitationem habet; sed cum nec illud praecceptum sit reiectum in casum mortis Reverendissimi Domini; sed sit praesens, pura, & irrevocabilis donatio, his verbis concepta, *Avons donné, & donnons par cesles de maintenir & irrevocablement, hoc est, Dedimus ac damus per istas ex nunc & irrevocabiliter, existimamus illam validam & efficacem esse.*

Est enim qui mortis causa donare non potest, multo minus potest donare inter vivos, *l. Filiusfamilias De donat. ut filiusfamilias; & multo minus servus; & qui his assimilatur monachus seu religiosus, Innocent. in c. Cum olim De privileg. latè Marcus Anton. Boverius in reper. l. Cum filiosam. n. 188. De leg. 1. hoc tamen expeditum est, Religioso ad Episcopalem dignitatem promoti, permittam esse potestatem administrationis bonorum & reddituum Ecclesiae; illumque illorum fructus percipiendo suos facere; & ut consumendi, ita quoque erogandi potestatem habere. Ideoque Baldus, qui Religioso Episcopo facultatem testandi non permittit, quoddam tamen quasi proprium (etsi id sit contra professionem monasticam, *c. super quodam de statu monach. i*) illi in vita, non etiam in morte, permittit, *in d. c. Clerici nu. 7. ut olim in Latinis libertinis observatum fuit, §. ult. In stir. De success. libert. Quod indicium est potestatis tam in consumendo, quam honestè praesertim in pauperes erogando. Quae in pauperes, & pietatis opera erogatio, generaliter permittitur, etiam tunc cum testandi potestas jure sublata est, *d. Auth. Licentiam. cum hoc proprium sit officium Ecclesiasticorum; ut fructus beneficiorum, qui necessitati propriae supersunt, in pauperes erogentur, c. Episcopus x. q. 2. Et licet (ut diximus) Episcopalis dignitas à voto paupertatis, nec alijs, qui ut votum & professio obstringit, non liberet ex sententia Divi Thomae, 2. 2. quast. 186. artic. 6. Fane Sarmientus, in trad. de Eccles. redit. part. 1. c. 6. num. 1. Covar. in d. c. 1. n. 28. De testam. libe-***

rat tamen ab his, quae officium Episcopale impedirent. Iam verò si Episcopus propter antecedentem monachatum & abdicacionem propriam, non posset egenis, & pauperibus providere (quod esse vix potest nisi de fructibus bonorum Ecclesiae, quae ipsa bona alienare non potest, *c. Casillas x. q. 2.*) non posset munus Episcopale expedite exhibere.

Nec hac in parte quicquam movere potest, quod huic donationi Reverendissimus Episcopus subjecerit etiam eas pensiones, quae post diem datoris, & fortè post ejus mortem (ut reverè accidit) cederent in Festo Paschae, & Nativitatis Joannis Baptistae; nam & ex pensiones erant in manu & potestate Episcopi. Hoc enim certo Iure definitum est *l. Desunda De usufructu, ad usufructuarium, quosque heredem pertinere, non tantum fructus, quos ipse percepit; sed etiam mercedem seu pensiones, quae ex locatis fundis debentur, etiam si dies pensionis cedat post usufructuarij mortem, per quam tamen usufructus finitur; si modò fructus in vita usufructuarij à colono sint percepti. Clericos autem in beneficijs, usufructuarijs magis, quam usufructuarijs similes esse vulgo communius receptum est, Covar. in c. Cum in officijs De testam. Quam potestatem impedire nobis non videtur, statutum synodale, eod quod de Pastoribus inferioribus, & de primo capite Pastorum accipiendâ esse videatur; tum quod ad officium Episcopale, ut diximus, pertineat providentia & erogatio in egenos; non ita ad officium inferiorum Pastorum, quibus ea cura specialiter nullo jure imposita invenitur, etiam si superflua perinde in pauperes erogare in foro animae teneantur; tum quod causa finalis dicti statuti, quoad Pastores cesset in Episcopatu, qui electivus est, & abundantia bonorum se munit, ut nullus sit metus, ne decessore mortuo nemo inveniatur, qui Episcopalem curam & administrationem subire velit. Unde etiam usus cautionis illius, quam statutum imponit Pastoribus, de relinquendâ aliquâ quorâ fructuum pro successore, non observatur in Episcopo; ut cessante causâ finali statuti, usus statuti cesset, & nihil mutare possit.*

Quod attinet ad sequentem seu secundam donationem, nulla est dubitatio quoad ornamenta donata, quin valere debeat, cum sit facta ei, cui alioqui cessante donatione, illa eadem obvenire debebant; hoc est successor in Episcopatu. Sed de suppellectile, quae in domo Episcopali inveniretur donata fabricae, item de fructibus annexae seu unitae praebendae donatis pro fundando & constituendo anniversario, iusta est dubitatio; quod administrationis Episcopalis modum excedere ista videantur. Verum dum omnia expeditimus, & ex Baldi, aliorumque sententiâ Episcopo, quamvis Monacho, quasi proprium in vita ex libertima administratione habere liceat; & ex juris communis tam civilis, quam Canonici dispositione, Episcopus bonorum Ecclesiae administrator & fructuum dispensator sit; nec ullo jure inveniatur in potestate dispensandi differentia inter saecularem & regularem Episcopum; & utroque Iure Episcopo etiam saeculari non permittatur potestas testandi de bonis intuitu Ecclesiae acquisitis, *c. 1. De testam. & Auth.*

d. Anth. Licentiam C. de Episc. & cleric. permittatur tamen potestas illa erogandi & consumendi, non tantum in utilitatem Ecclesie, sed etiam in alia opera pietatis, d. Auth. Licentiam: quibus annumerantur quæ pro ædificatione, & fartis tectis Ecclesiarum, item pro salute animarum relinquuntur seu destinantur, Tiraquel. in tract. de pia caus. in præfat. verius & æquitati magis consentaneum esse putamus, in has duas causas factas donationes etiam subsistere; nec liberale, nec pium esse, hac in parte Reverendissimi Episcopi præsentem donationem convellere: & ne quid ex eo quod absentibus factæ sint hæ donationes. † Et si enim regulariter absentis facta donatio non valeat, nisi secuta donatorij in vita donantis acceptatione, l. Absenti De donat. in piam tamen causam etiam absentis, & sine acceptatione in vita donatorij, statim valet facta donatio, confessio, seu declaratio; ut late tradit Andreas Tiraquellus, in tract. de pia caus. privileg. 115. 116. 117.

De Donationibus.

S V M M A R I U M.

Donatio Vniversitati ad distribuendum facta

1. 6. Donatum vel legatum Vniversitati, singulis non debetur, sed corpori Vniversitatis.
2. 5. Donatum vel legatum Civitati, Collegio, Municipio, Vniversitati, & similibus in quid converti debeat.
3. Vniversitatem qui representent, & per quos illius negotia explicantur.
4. Communi in re quando unus contra discendo, possit alios impedire.

CONSILIVM CCCLXVIII.

SANCTISSIMVS Dominus noster Gregorius Decimus tertius Papa, per suum Breve sub annulo piscatoris ad Rectorem & Vniversitatem Studij generalis Lovanienfis sexta Augusti anno 1580. misit summam duorum millium aureorum, sub his verbis: *Mittimus vobis duo millia aureorum. Poteritis mille inter vos dividere; ex reliquis communia vestra Vniversitatis debita persolvere; aut etiam si mille parum vobis esse videbitur, tota duo millia inter vos partiri; hoc enim vestro arbitrio permittimus.* Quaritur, inter quos, & quomodo fieri debeat hæc divisio mille aureorum, aut etiam duorum millium, si tale erit dicti Rectoris & Vniversitatis arbitrium; & ad quos hoc arbitrarij pertineat potestas?

Si nihil in dicto Brevi specialiter dictum esset de fine hujus missionis, ad effectum facultatis dividendi, vel alteram, vel utramque hanc summam, pro absolutâ donatione accipienda esset hæc missio; etiam si donationis nulla mentio in ea fiat. † Neque enim ulla est præsumptio alterius vel tituli vel intentionis ac voluntatis ejus qui mittit, Gloss. & Bartol. in l. Cum quid si cert. per. Guido pape conf. 239. præsertim quod antecedentia verba dicti Brevis causam missionis evidenter explicant; videlicet, commiserationem perpestrarum calamitatum, & meritum eorum, ad quos fit hæc missio; ut non obscure remuneratoria sit hæc per missionem hujus summæ explicata donatio. Cujus donationis effectus non ad singulos de Vni-

Conf. Wamf. Tom. II

versitate sed ad ipsum Vniversitatis totum corpus referendus & restringendus est. † Ut enim quæ Vniversitatis alicujus sunt, non singulorum, sed Vniversitatis sunt, l. In tantum §. Vniversitatis De rer. divis. ita quoque quod Vniversitati, Civitati, vel municipio relinquatur, donatur vel debetur non singulis de Vniversitate, non singulis civibus, vel municipibus debetur, nec singuli totum vel partem illius petere possunt, sed Vniversitati ipsi, seu (ut dicunt) fisco Vniversitatis, Civitatis, vel Municipij debetur; & per illius administratores, fiscum, seu syndicum solidum peti potest, & solidum in utilitatem Vniversitatis, non singulorum Doctorum, Magistrorum, aut scholarum converti, l. Civitatibus De leg. 1. l. Civibus De reb. dubijs l. Sicut §. si quid Vniversitati Quod cuiusque Vniversit. nomine & ibi Gloss. minimèque inter Vniversitatis singulos homines est distribuendum, Castrens. in d. l. Civibus nu. 2. quia nec singuli Vniversitatem constituunt nec sustinent, l. Cum senatus De reb. dubijs. Sed quoniam in dicto Brevi ultra declarationem seu actum missionis horum duorum millium aureorum, adjicitur finis ipsius, & modus executionis seu usus illius; ut scilicet Rector & Vniversitas possint mille aureos inter se dividere; & reliquos mille aureos, vel in communium debitorum solutionem convertere, vel si arbitrabuntur etiam cum alijs mille inter se partiri, voluntas mittentis, formam, usum, & executionem dictæ missionis seu donationis præscripsit: ita ut non possit dici absolute donationem esse factam Vniversitati ipsi; sed magis singulis, qui sub Vniversitate sunt, ideoque ex voluntate & speciali declaratione mittentis hæc summa mille aureorum, non ad ornatum, honorem, aut communem utilitatem Vniversitatis videtur posse converti, sed tantum ad divisionem: nam sic Vniversitati, Civitati, vel municipio donari aut legari posse, d. l. Civitatibus l. Si quid reliquum De leg. 1. eamque voluntatem donantis aut legantis omnino servandam esse, dubium non est, d. l. Cum Senatus. Quæ consideratio hoc facit, quod singuli de Vniversitate probabiliter fundati videantur ad petendam hanc divisionem, saltem pro mille aureis; & quod in re communi vel unus ex Vniversitate contradicere possit, etiam si maior pars vellet hos quoque mille florenos cum alijs mille convertere in debita vel aliam utilitatem totius Vniversitatis, l. Solum D. Communium divid.

Verum propius advertendo, deprehenditur præcisam non fuisse voluntatem Sanctissimi Domini nostri Papæ hanc libertatem exercentis ad necessitatem divisionis, sed dumtaxat ad potentiam; quod scilicet Rector & Vniversitas possent dividere. Iam verò cui seu quibus permittitur posse dividere, non coguntur id facere nisi velint, l. non quicquid De iud. l. Sæpe De off. præsid. Ex voluntate itaque Rectoris & Vniversitatis id pender, an velint uti potestate dividendi sibi per dictum Breve permissa; an verbò eà vel contemptâ, vel neglectâ id efficere, ut sit absoluta donatio seu missio donationis causâ dictis Rectori & Vniversitati facta. Ut etiam in dicto Brevi prius perceptâ expeditâque oratione Rectori & Vniversitati missa est pecunia; & post per aliam orationem

M 4

subiecta